

**Dissertatio inauguralis medico-practica, de tuenda et restituenda  
navigantium sanitate / [Christian Gottfried Seebach].**

**Contributors**

Seebach, Christian Gottfried.  
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.  
Universität Erfurt.

**Publication/Creation**

Erfurt : Hering, 1735.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dhhxayna>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-PRACTICA,

DE

TVENDA ET RESTITVENDA  
NAVIGANTIVM  
SANITATE,

QVAM

VELIFICANTE NVMINIS SUPREMI GRATIA,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, RELIQVA,

INCLYTA FACVLTATE MEDICA IN PER- ANTIQVA

HIERANA GRATIÖSE INDVLGENTE,

LOCO SPECTABILIS EJVSDEM DOMINI EX-DECANI, MORBO IMPEDITI,

P R A E S I D E,

DN. D. ANDREA ELIA BÜCHNER,

SAC. CÆSAR. MAJEST. ARCHIAT. ET COMIT. PALAT. S. R. I. NOBILI,

EPHEMERIDVM ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOSOR. DIRECTORE,

INSTITVT. MED. PROF. PVBL. ET FACVLT. MED.

ASSESS. EXTRAORDINARIO,

PATRONO ET FAVTORE SVO SVMME DEVENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS

VNA CVM SVMmis EIDEM ANNEXIS PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME ADIPISCENDO,

PUBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

CHRISTIANVS GODOFR. SEEBACh,


Tænnstadio-Thuringus,

Practicus Archangelopolitanus in Russia Occidentali.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XVIII. JVNII M DCC XXXV.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



AUGVSTISSIMÆ INVICTISSIMÆ  
AC POTENTISSIMÆ  
PRINCIPI AC DOMINÆ,  
DOMINÆ  
ANNÆ IV A-  
NOWNÆ,  
IMPERATRICI ET ABSOLVTÆ  
POTESTATIS DOMINÆ TO-  
TIVS RVSSIÆ,  
MOSCOVIÆ, KIOVIÆ ET NOVOGARDIÆ  
MAGNÆ,  
PRINCIPI CASANI, ASTRACANI ET  
SIBERIÆ, DOMINÆ PLESCOVIÆ,  
MAGNÆ DVCISSÆ SMOLENSCII,  
DVCISSÆ ESTHONIÆ, LIVONIÆ ET  
CARELIÆ, TVERIÆ, PARMIÆ, WIATKÆ,  
BVLGARIÆ ET ALIORVM REGNO-  
RVM,

MAGNÆ DVCISSÆ NOVOGAR-  
DIÆ INFERIORIS, CZERNICHOVIÆ,  
REZANIÆ, ROSTHOVIÆ, JEROSLA-  
VIÆ, BIELÆ OZORÆ, VDORIAÆ,  
OBDORIAÆ, CONDINIÆ,  
IMPERATRICI OMNIVM SE-  
PTENTRIONEM VERSVS SITARVM TER-  
RARVM, DOMINÆ REGIONVM TVE-  
RIÆ ET CASTALIÆ,  
HÆREDITARIÆ DOMINÆ PRO-  
VINCIARVM GEORGIAÆ, CABARDIÆ,  
CIRCASSIÆ ET DVCATVS GOR-  
KI, &c. &c.

IMPERATRICI  
AC  
DOMINÆ SVÆ  
LONGE CLEMENTISSIMÆ,  
CVM  
HVMILLIMA AC DEVOTISSIMA ANIMI SVBJECTIONE  
SALVTEM!

# AUGUSTISSIMA, INVICTISSIMA AC POTENTISSIMA IMPERATRIX.

 I, quos supremo rerum fastigio  
Divina imposuit Majestas, de-  
voto semper officio venerari  
liceret iis, quorum parata sunt  
ad nutum atque omni tempo-  
re promptissima obsequia, neutiquam sane  
hoc demum die MAJESTATI VESTRÆ demissa

animi subje<sup>t</sup>ione litare<sup>m</sup>, qui jam diu ex im-  
mensa congratulantium fidelissimorum sub-  
ditorum turba proferri desiderans, victoria  
in vicinos rebelles arma cum maxima Chri-  
stiani orbis parte veneror & splendidissimos  
porro tam de iis, quam Imperii Romano-  
Germanici hostibus Triumphos adeo demis-  
so animi cultu auguror, quo nec major â me  
expectari, nec sanctior ab ullo offerri potest.  
Ast vero, cum non deceat aut liceat ad subli-  
mem, in quo nunc eminet MAJESTAS VESTRA,  
thronum proprius adrepere non vocatos, aut  
nullo alio, nisi præstanti obsequii, prætextu,  
animum â gravibus & pro publico omnium  
bono vigilantibus curis, inter tot tantosque  
labores, in quibus assidue, pro orbis ac Impe-  
rii salute, versatur, divertere, novo utique  
propterea devotionis genere ad hoc opus ef-  
se mihi deprehendi. In cuius anxia dum ver-  
for meditatione, quibusvis aliis ex veterum  
aut nostræ ætatis ingenio & usu exquisitis,

at-

atque, ceu tanta VESTRA MAJESTATE inferio-  
ribus, merito rejectis, ad leves hasce studio-  
rum meorum Academicorum primitias con-  
fugere, hasque , veniam insimul huic meæ  
immensæ audaciæ indulgeri humillime effla-  
gitans, Augustissimo NOMINI VESTRO devo-  
tissime consecratas, tamquam prima obse-  
quii & studiorum libamenta, sacro pulvina-  
ri submittere decrevi, quoniam isthuc unum  
felicitati meæ adhuc deesse videbatur, ut de  
CAESAREA tutela ac gratia securus, animum  
reciperem & alacritatem, eoque majori post-  
hac cura studioque Praxin Medicam, quam  
per plures jam jam annos in extremis vastis-  
simi Imperii Russici finibus, *Archangelopoli*  
nimirum, sanitati fidelissimorum VESTRO-  
RVM subditorum invigilans, exercui, nunc  
reassumerem. Posset equidem alienum for-  
te videri, inter armorum huncce strepitum,  
ad bella justissima aliquando confienda,  
pacemque, quæ tuta sit ac salutaris, orbi &

Imperio constituantur, unice directum,  
medicæ artis delicias morborumque cura-  
tiones varias ingerere. Ast, novi jamjam &  
illustribus diu perspectum habeo documen-  
tis, in gravissimis etiam occupationibus, sua-  
viora Musarum commercia neutiquam displi-  
cere, cum miro consilio atque providentia sic  
omnia justis piisque legibus sint contempe-  
perata, ut ejusdem Sceptri nutu, quo tot sub-  
jectarunt nationum gentiumque regimina  
dispensantur, scientiarum atque artium, sine  
quarum cultu nec magnæ forent, nec felices  
Respublicæ, præsidia stabiliantur. Hanc  
ergo ob causam, dum levissimas hancce pagel-  
las, meæ nunquam morituræ pietatis & de-  
votionis testes, aliquem saltem radium ab im-  
mensa VESTRAE MAJESTATIS clementia ob-  
tenturas, eoque ipso trepidanti adhuc animo  
meo dulcissimam confirmationem' accessu-  
ram fore, certissime confido, haud injuste  
actum esse, quod Gloriosissimo & cunctis se-  
culis

culis Venerando NOMINI VESTRO easdem  
inscripferim, quippe cuius Virtus in omni vi-  
ta spectatissima, illud supremæ dignitatis fa-  
stigium promeruit, quo nihil quidquam Deo  
propinquius in terris reperitur, cujusque In-  
genium omnibus illis dotibus abunde est  
præeditum, quæ in vastissimarum talium pro-  
vinciarum Imperatrice vel optari possunt, vel  
mente duntaxat concipi.

De reliquo, dum in præsentiarum tristis-  
sima quotidie oculis nostris obversatur me-  
moria, regionum per interna dissidia in con-  
finiis nostris depopulatarum, urbium diru-  
tarum, arcium expugnatarum, agrorum de-  
vastatorum, camporumque profuso sanguine  
exundantium, bellicorum etiam eminus  
adhuc durantium apparatus gravitas & ar-  
morum augescentes strepitus, votorum meo-  
rum suminam eo merito dirigo, ut supremus  
mundi Arbiter SACRAE VESTRAE MAJESTATI  
porro pacatum Imperium, tranquillam eius-  
dem

dem possessionem, terrarum fœcunditatem  
gentiumque concordiam summa cum animi  
voluptate diutissime videre permittat, imo  
largiatur Deus VESTRAE MAJESTATI, quæ o-  
lim Christianorum pro Imperatore preces  
erant, vitam prolixam, domum tutam, exer-  
citus fortis atque felices, Senatum fidelem,  
populum probum, orbem quietum, classem  
invincibilem, omniaque illa, quæcunque ho-  
minis & Cælaris vota sunt, quod ipsum quo-  
que ardentissime & humillime vovet,

## SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTA- TIS VESTRÆ

*subiectissimus & devotissimus servus,*

**CHRISTIANVS GODOFREDVS SEEBACH,**

*Medicinæ Practicus Archangelopolitanus.*



DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS MEDICÆ,  
TVENDA ET RESTITVENDA  
**NAVIGANTIUM**  
SANITATE,  
PROœMIVM.

**M**ortales ad unum omnes, quotquot ab humani generantur seminis usu, innumeris atque immensis calamitatum ac miseriарum procellis fluctibusque expositos esse, vix unquam quempiam negaturum confido, quoniam communi jam eoque verissimo & infallibili effato notissimum est,

est, adeo, ut etiam pristinis iam jam temporibus summi & antiquissimi Philosophi, tristissimam hancce conditionem, & in specie maximum corporis nostri fragilitatem, tot tantisque infortuniorum generibus vix unquam proportionatam & sufficientem, solerti mentis acumine introspective, à lacrymis sibi neutiquam temperare potuerint. Et sanè, si quis totum peregrinationis nostræ cursum penitus intuetur, quid quæso à primis incunabulis ad ultimum usque vitæ nostræ halitum aliud deprehendet, quam labores & dolores, concatenata fere serie se invicem quotidie excipientes? adeo, ut hominem, maxime christianum, nisi adhuc spes alterius meliorisque vitæ, post superatas hasce mundi ærumnas tandem expectandæ, ipsi superesset, brutis fere infeliciorem æstimare liceret, dum re ipsa abunde singulis fere horis deprehendimus, eundem copiosioribus pariter ac gravioribus, quam quidem in brutis occurunt, infestari malis. Sic enim alias ab ineunte statim ætate morbo assidue vexatur, & non nisi inter dolores & ægritudines consenescit; alias intra uteri claustra vitam, quam vix natus

Etus erat, iterum deponere, aut exinde egrediens, dum vix mundum salutavit lucemque asperxit, eidem rursus valedicere cogitur; alium aqua, alium ignis absumit, aut occulta terræ cavitas repente includit; hunc aut pede, aut brachio, aut manu destitutum, cum in lucem editur, deprehendimus; alium natura cœcum, mutum, vel surduin producit: Quot denique vel à latronibus misere trucidantur, vel veneno aliisque infinitis artificiis ē medio tolluntur, ut vel propterea luctuosissimam & molestissimam reputare liceat peregrinationem nostram, quoniam, quocunque etiam sensus & mentis oculos convertas, nil nisi perpetuæ exilii ærumnæ, homini ubique perferendæ, obversantur, quo usque nimirum in hoc mundo viatorum & hospitum ad instar commoramus. Hinc & is, qui patriis torpescit in arvis vitamque latendo fallere gaudet, & qui mundi peregrinas excurrit in oras atque in ignotis errat arenis, ubique labores atq[ue] miseriam, ubique etiam vitæ sanitatisque suæ hostes infensissimos comites habet, qui tandem aliquando eundem, sive cautus, sive incautus fuerit, undique aut nulli-

bi sibi prospexerit, penitus opprimunt, ita ta-  
men, ut peregrinantes præ iis, qui domi sorde-  
scunt, semper gravioribus ac numerosioribus  
incommodis atque periculis se se exponere, ea-  
que propter & vitæ & sanitatis suæ curam exa-  
ctiorem gerere necesse habeant. Deprehendi-  
mus hujus asserti veritatem in primis in *Navi-  
gantibus & Classiariis*, qui, licet interdum vix  
nati nubibus statim adsuescant, imbres ferant,  
ventos provocent, & quicquid denique mor-  
tem inferre potest aut lacestant, aut negligant,  
eamque nec Scyllam inter & Charybdim pro-  
vocare extimescant; imò, licet tanto sæpius er-  
ga navigationem flagrent amore, ut nec ven-  
torum minis, nec tempestatum horrore exani-  
mentur, plus simplici tamen vice variis & in-  
terdum admodum soticias morbis usque adeo  
debilitantur & prosternuntur, ut tandem quo-  
que vitam, quam gravissimæ illæ injuriæ atque  
pericula ipsis adimere haud poterant, si sub his  
tamen, modò propria, modò aliena culpa  
amittant.

Cum igitur securitas regnum cæteroquin  
etiam potentissimorum interdum magna ex  
par-

parte nitatur copia & sanitate *Classiariorum*<sup>3</sup>  
 cum his deficientibus, aut nefanda morborum  
 sævitie oppressis, utilissimæ belli pacisque tem-  
 pore suscipienda expeditiones impedianter ac  
 frustrentur, eaque propter curæ pariter ac impen-  
 sæ, quæ conservationi ac restitutioni sanitatis  
 hujus generis hominum destinantur, & neces-  
 sitate & utilitate omnes fere alias antecedant:  
 Hinc placuit mihi, loco Speciminis inauguralis,  
 pro obtainendis supremis in Medicina honori-  
 bus nunc exhibendi, ea potissimum, quæ pro  
 tuenda & restituenda *Navigantium* sanitatem  
 Medico scitu & observatu necessaria sunt, suc-  
 cincte ac perspicue explicare, in primis cum per  
 octo, & quod excurrit, annos, quos *Archange-  
 lopolis* in Russia Orientali sub divini Numinis  
 gratia transegi, in Praxi Medica varia huc per-  
 tinentia observare & annotare mihi licuerit.  
 Ut autem Deus T. O. M. huic meo conami-  
 ni ex alio benedicere, meaque studia ita cle-  
 mentissime dirigere velit, ut in sui Nominis  
 sanctissimi gloriam proximique salutem ver-  
 gant, humillimo corde precor!

## SECTIO PRIOR

*De tuenda Navigantium sanitate.*

## §. I.

**E**st sane pessimus hic plurimorum hominum mos & detestanda consuetudo, quod tam in capiendo cibo & potu, quam in aliis ad corporis sui conservationem & durationem necessariis rebus, nec modum, nec fines ac terminos observare soleant, quin potius vel sponte sua, vel aliorum ad instantiam & nefandam exhortationem, tantum plerumque, ciborum in primis & potulentorum, quavis occasione ingurgitent, ut ventriculus iisdem recipiendis, nedum digerendis, minime sufficiat, adeoque loco succi, seu Chyli laudabilis, non nisi saburram variii generis crudatum & impuritatum maxime noxiarum producat, quæ, dum dein ad M. S. deferuntur, hanc non solum in crasi & mixtione sua eximiè alterant & depravant, sed & ipsorum viscerum, nobiliorum ac ignobiliorum, partiumque corporis reliquarum solidarum structuram & compagem gravissime lœdunt atque corruptunt, & tali ratione certissima tandem exinde emergentium sōticorum ac pertinacissimorum morborum funda-  
menta ponunt.

## §. II.

Veritatem hujus per quotidianam experientiam à multis retro seculis jam jam multoties confirmati asserti, suo in primis exemplo demonstrant atque illustrant *Classiarii & Navigantes*, utpote qui morbos ferè omnes, qui-

quibus ordinarie præ terræ incolis magis expositi & obnoxii sunt, quoad maximam partem ex diæta inordinata, ipsis quasi propria, nec non regimine incauto atque perverso, sibi contrahere solent. Hac enim ratione vires Naturæ, ad tuendam valetudinem per quam necessarias, suppressimunt atque prosternunt, totamque suam Oeconomiam vitalem usque adeo invertunt ac destruunt, ut tandem plenaria ejusdem ruina necessariò subsequatur. Hinc, si præsens sanitas hujus generis hominum conservari debet, ante omnia opus est, ut vires Naturæ, & organorum integritas, robur atque activitas simul conserventur, & quidem earum rerum præsidiis, quæ, quia ad ducendam vitam præcipue sunt necessariæ, à GALENO *causæ salubres & conservatrices*, vulgo autem *res non-naturales* vocantur; & has ipsas tali in primis modo quemque observare oportet, sicuti prædictas Naturæ vires abinde sustentari, non vero lædi & labefactari in se ipso animadvertisit & experitur.

### §. III.

Licet ergo ratione Aëris talem tamque exactam haut queant habere rationem navigantes, sicuti ii, qui in terris degunt, ut nimirum puriorem, nullisque imbutum inquinamentis noxiis, & insimul liberæ transpirationi & respirationi convenientem, feligant, quoniam ipsum illorum vitæ genus, exhalationes marinæ continuæ, tempestates frequentissimæ, nec non itinerum cursus, per varias plagas & cœli tractus absolute instituendus, huic scopo repugnant, hacque ratione occasionem subministrant, ut varia ex tali aëris varietate emergant sanitatis detrimenta; convenit tamen & pos-

sibile est, ut ad minimum aërem in navibus inclusum ab effluviis heterogeneis & impuris qualitercunque repurgare & in laudabiliori tali qualitate conservare allaborent, contignationes nempe navis, tempestate serena existente, sedulo eluendo & abluendo, spiracula & foramina ordinaria undique dein aperiendo, ut liberior temperato aëri concedatur transitus, impuritates quas-cunque, maxime autem stercora animalium forsitan adhuc præsentium, assidue removendo, & tandem suffimigiis consuetis obscurum, nebulosum & turbidum aërem diligenter alterando & corrigendo. Cum etiam insuper regimen nimis calidum & impetuosior corporis exæstuatio per graviores labores, qua in primis *clastarii* supersedere haut possunt, sanitatem admodum offendere soleant, quoniam abinde humores non solum ad perniciosum concitantur orgasmum, sed & pori atque ductus glandularum subcutanearum præter modum ita relaxantur, ut continuum fere sudorem evomant; hinc probe itidem cavendum erit, ne vel per repentinam corporis denudationem, vel etiam succendentem subitaneam aëris mutationem, accelerata nimumque aucta hæc excretio simul & semel cohibeatur & occludatur, eamque ob causam optime navigantibus convenit, si preferendis ejusmodi injuriis aëris tempestive adsuescant, ut dein sub iis nullus, vel ad minimum non adeo eximus transpirationis defectus oportiatur.

#### §. IV.

Deinde etiam multum, imo plurimum interest procuranda sanitate, si probe attendatur, quali ac quanto quis

quis utatur *vidu*, eo quod talis in succum & sanguinem  
 transeat & pro sua varietate non solum corpora varie  
 immutet, sed & successuris variis morbis, præcipue in  
 navigantibus, viam sternat, prout hoc fusius in poste-  
 riori Sectione demonstrabimus; hinc & in eo quodam-  
 modo cautos esse decet ipsos, ne, si circumstantiæ per-  
 mittant, omnis generis cibis, crudis in primis, dyspe-  
 ptis, admodum salitis, fumo induratis & male præ-  
 paratis, quales quidem in navibus alias usitatissimi sunt,  
 nimium se se infarciant & obruant, hacque ratione uni-  
 versam humorum massam impuritatibus heterogeneis  
 plenarie inquinent, & totalem eorundem dyscrasian  
 sibi conslicant, quæ dein tanto magis invalescit & per-  
 niciosior evadit, si insuper quoque spirituosa, acida, fer-  
 mentescentia, aut plane putrescentia potulenta, etiam  
 extra necessitatem, inconsiderate ingurgitant, quippe  
 quibus plus saepius damni sanitati suæ inferunt, quam  
 si arida siti fauces quodammodo premi permittunt. Li-  
 cet enim duriores illi labores motusque fere continui,  
 sub quibus navigantes, & præcipue classiarii, quotidie  
 versantur & non raro consenescunt, cibos quodammo-  
 do crudiores & duriores sine noxa admittere, imo qua-  
 si requirere videantur, quoniam paulò crassius exinde  
 nanciscuntur nutrimentum, pro obfirmando & conser-  
 vando robore partium magis necessarium, simulque  
 debita ac sufficiens eorundem resolutio sub arduo la-  
 bore & conjunto indesinenti validoque omnium par-  
 tium motu optime succedere potest; minime tamen  
 de omnibus hujus farinæ alimentis, & in specie nim-  
 um salitis, (utpote quæ communissima classiriorum

Russicorum sunt fercula,) sperandum hoc est, quoniam non solum difficillimæ sunt concoctionis, sed & insuper vix unquam tantum laudabilis chyli ac lymphæ largiuntur, quantum pro tempestiva virium humorumque absumtorum reparatione requiritur. Unde præstaret ad minimum, si navigantes illo saltem tempore, quo à laboribus liberi & immunes sunt, cœlumque & sidera dulce ipsis concedunt otium, cibis ejusmodi non nimium se se infarcirent, nec tali ratione Plethora & Cacochymia tandem certissime nocituræ ansam suppeditarent, portamque aperirent.

## §. V.

Cum verò non sine ratione tam **HIPPONCRATES VI. Epidem.** quam qui hunc secutus est magistrum, CELSVS Lib. I. cap. 2. laborem, vel motum, cuicunque proportionatum & congruum, semper cibum ejusque assumptionem antecedere debere, simulque sanitatis studium in ciborum temperantia & commoda exercitatione præcipue positum esse voluerunt, & ipsa insuper Natura, cuius vis omnis in motu consistit, veritatem hujus sententiæ confirmare videtur; Hinc & navigantibus, ad labores cæteroquin non destinatis, convenientem in primis motum ante omnia, prout circumstantiæ permittunt, suadendum esse censemus, quippe quo vividus sanguinis progressus & circuitus per omnes corporis partes optime promovetur & sustentatur, adeoque simul vigor naturæ conservatur & sanitas ipsa fovetur; cum è contra otio atque ignavia torpeant motus omnes, tam fluidorum, quam solidorum, & secretiones pariter, ac excretiones cunctæ segniores fiant,

humo-

humorum crasis & mixtio eximie lædatur, eoque ipso infensissimus ille navigantium hostis, *Scorbutus* nempe, tanto faciliorem emergendi occasionem nanciscatur, quin & animus ipse, torpore & insalubritate proprii sui corporis, perinde ac illi, qui sub contagioso versantur aëre, infectus, itidem segnis, tristis, torpidus atque inorosus reddatur. Classiariis autem, qui, quamdiu in navibus degunt, nullo fere otio fruuntur, sed continuis iisque satis arduis laboribus defatigantur, hisque vix unquam supersedere possunt, hoc saltem observandum esse censemus, ut superatis & exantlatis vehementioribus ejusmodi exercitationibus, cibo potius, quam potulentis, se se reficere studeant, atque in primis tunc ab immoderata spirituorum ingurgitatione, quæ ipsis ordinarie perquam solennis est, sibi sedulò caveant, quoniam tali ratione orgastica humorum commotio jam jam inducta magis adaugetur, sicque facillime emergentibus exinde febribus & periculosis inflammationibus occasio suppeditatur; si vero tempestiva & qualitercumque proportionata sit exercitatio, & cibi assumptionem antecedat potius, quam subsequatur, tunc eximum etiam sub hoc vitæ genere præstat usum, quoniam sic ad distributionem Chyli & accelerandas se- & excretiones Natura excitatur, atque dein, superfluorum & inutilium onere levata, ad capiendum recteque digerendum cibum aptior & activior evadit.

## §. VI.

Quodsi etiam insuper Navigantes præter eam, quam corpori debent, curam, *animi* quoque rationem habere, eumque subinde jucundis & utilibus cogitatio-

nibus, si occasio forsitan suppetat, recreare allaborent, multum pariter ad tuendam sanitatem exercitationes tales conferre experientur: Hinc optime faciunt navium gubernatores atque præfecti, quod nautis & classiariis, pelago quiescente, cœlo sereno, aëreque tranquillo existente, aut etiam post perpessas & feliciter exsuperatas graviores tempestates, nec non rabiem maris ventorumque prælia, variij generis lusus & mentis exhilarationes concedant ac indulgeant; sic quoque navigantes reliqui, studiorum in primis amatores, bene sibi consulunt, si incommoda itineris cæteroquin admodum molesti, occasione ita ferente, legendo vel meditando temperare student, quoniam ejusmodi quoque cogitationes, sicuti animum mirifice erigunt, ejusque vires in immensum adaugent, ita & corpus, sensus in- & externos excitando, eximie recreant, morborumque tam præservationem, quam curationem multum adjuvant, dummodo modus in iisdem teneatur: Hoc enim sensu non injuste Philosophiæ olim jam acceptum tulit SENECA *Epist.* 79. quod surrexit, quodque convaluerit.

### §. VII.

Similem quoque pro scopo hoc obtinendo ineundam esse rationem *Somni & Vigiliarum*, cuilibet facile innotescet, qui illum ad promovendam transpirationem insensibilem, navigantibus præcipue utilissimam, viriumque refectionem per quam necessarium, has vero ad conservandum calorem nativum, ac partium robur & activitatem, abstergendas & eliminandas quascunque impuritates heterogeneas, pluraque alia sanitatis

tatis commoda inducenda, admodum proficuas esse novit: Cum enim frequentissime sudores, quibus inter labores continuos plerumque navigantes, & in primis classiarii, in aëre squalido fere diffluunt, subito rursus ob oriente aëre frigido ventisque insolentibus, reprimantur, pori totius corporis undique occludantur, ac reliquæ excretiones summe necessariæ, mille modis & obstaculis, inter anxietates istas turbentur ac sufflaminentur, opus utique est, ad præcavendos quamplurimos exinde emergentes morbos, ut insensibilis transpiratio, quantum possibile est, restituatur & conservetur, id quod præ omnibus aliis re vera placidus optime præstat *somnus*, quippe qui adeo favet huic excretioni, ut, secundum observationem SANCTORII *Med. Static. Sect. IV. Aphor.* 2. § 4. dormiens septem horarum spatio occulte, salubriter & sine violentia perspirare soleat duplo magis, quam vigilans, atque à somno nocturno corpus sentiatur alacrius & minoris multo ponderis, tum ob vires auctas, tum ob exhalationem trium librarum circiter exrementorum. Merito igitur vel ob solam hancce causam navigantibus suadendum, &, quo usque circumstantiæ id ipsum permittunt, debite admittendus erit somnus, non vero nimis diu protrahendus, alias enim legitimam fibrarum atque nervorum tensionem, pro conservando corporis pariter ac animi vigore præcipue necessariam, debilitat & infringit, eo que ipso liberam humorum circulationem usque adeo hebetat & impedit, ut etiam legitimæ se- & excretiones abinde nimium quantum retardentur, & spissitudo pariter ac cacoehymia illorum tandem

dem introducantur, quod & de immoderatis *vigiliis* itidem valere deprehendimus, quippe sub quibus, ob continuam & irrequietam nervosarum & musculosarum partium agitationem, salubris illa corporis perspiratio conturbatur, acrimonia & spissescientia fluidorum excitatur, & ita hoc pariter ac multis aliis modis naturæ vigor, qui ad sanitatem tuendam in primis requiriatur, eximie alteratur & debilitatur.

## §. VIII.

Cum vero insuper etiam ad conservandam corporis nostri Oeconomiam vitalem continua reparatio illorum, quæ absunta aut ablata sunt, requiratur, hancque ratione quotidie cum puris & laudabilibus nutrimentis etiam copiosæ heterogeneæ impuritates ingerantur & facile accumulentur, in primis in nostris navigantibus, quorum diæta ut plurimum ita comparata est, ut dyscrasias humorum magis, quam puritati eorumdem faveat; hinc *excernendorum* pariter ac *retinendorum* debita habenda erit ratio, ne ob qualitercunque turbatum legitimum horum successum ipsa simul sanitas nimium offendatur & lædatur. Ea enim arte constructa est corporis nostri machina, ut spissiora quidem excrementa facile, quam primum ex tenuibus intestinis, motu ipsorum peristaltico, ad crassiora & inferiora pro voluta sunt, emitti queant; subtiliora autem & liquidiora paulo longiori via, mediante circulatione humorum, ad varia in- & externa emunctoria deferantur, & prævia secessione & abstersione in quantitate satis notabili exinde eliminentur, adeoque semper & ubique, maxime autem durantibus maritimis itineribus, prospicien-

ciendum erit, ne ordinariæ & salutares istæ excretiones, vel in defectu, vel in excessu peccent, quoniam priori modo facile Cacochymia universalis derepente invalescere, sub posteriori autem casu ablatorum debita restitutio haud ita prompte ac convenienter, quam quidem par esset, obtineri potest. Habent ergo navigantes, quo sibi, quantum quidem possibile est, à nimiis sudoribus & purgationibus, ab excessivis hæmorrhagiis, variis ex causis ipsis admodum solennibus, nec non crebriori veneris exercitio, sedulo caveant & temperent, simul vero etiam ordinarium alvi, & ante omnia transpirationis universalis, nec non diureseos naturalis successum summo, quo possunt, studio conservent & promoteant, si inconcussa & ab insultibus morbosis diu libera gaudere volunt sanitatem.

### §. IX.

Quanta porro ad tuendam pariter ac mutandam sanitatem vis & potestas sit *animi pathematum*, cuilibet per experientiam satis abunde jam liquet, quoniam nimium perceptiones istæ & alterationes non vanæ & transitoriæ, sed activæ, fortes & pertinaces sunt, non animam solum afficiunt, sed & in corpus universum simul penetrant, si que ulla saltē ratione modum excederint, variis statim modis illud conturbant, & gravissimas morborum species, imo non raro mortem subitaneam accelerant. Jam vero vix ullum, praeter navigantes, occurrit hominum genus, quod frequentioribus ac vehementioribus expositum est animi commotionibus, in primis autem subitaneis & ingentibus terroribus, ex præsentissimis vitae periculis oborientibus,

C

nec

nec non angori, timori & tristitia, cum spe metuque permixtis, quibus continuo fere agitantur, anguntur & tantum non exanimantur, ob tempestates nempe atrociores, quas saepe subire coguntur, & sub quibus plenumque quot fluctus veniunt, tot mortes irrumperet videntur; hinc sane iis perquam difficile erit, illos avertere & evitare morbos, qui suam abinde habent & accipiunt originem, cum causis modo dictis qualibet hora ac die expositi sint. Interim tamen, si non omni, saltem maxima ex parte santicos harum causarum effetus infringere, aut prorsus etiam effugere poterunt, si fortiores quoscunque tales animi commotiones sub rationis dominio quadantenus continere student, tandem que feliciter exsuperato tali vitae periculo, corpori analepticis, reficientibus, roborantibus aliisque remediis, menti autem jucundis delectationibus & honestis recreationibus, quantum quidem ob circumstantiarum rationem licet, succurrere, & sic utriusque vires excitare atque iterum colligere student.

### §. X.

Tandem praeter hanc circa res non-naturales observandam & navigantibus sedulò inculcandam prudentiam, singulari etiam adhuc opus est præservatione medica, ante ipsius itineris ingressum suscipienda: Tunc enim probe adhuc inquirant necesse est, num corpus sanguinis copia nimia, aut crudis ac vitiosis humoribus scateat atque abundet, quoniam his vel ex motu vehementiori, vel qualicunque alia ex causa commotis & exagitatis, merito verendum est, ne pro diversa sua qualitate, situ & indole, ad omnes corporis partes deriventur.

riuentur & propellantur, atque exinde postmodum varia morborum schemata tanto citius & certius introducantur. Ad præcavenda igitur ejusmodi mala, pro tribus Therapeuticis speciebus, triplicia quoque præsidia in auxilium vocanda sunt, *Venæsecchio* nimirum, aut *scarificatio*, *purgatio* & *conveniens* *victus ratio*: Illa, præsente nimia sanguinis abundantia, in primis si intra vasa magis, quam in carnoso corporis habitu, eadem subsistat, atque subjecta antea simili artificiali ventilationi jam jam adsverta fuerint, optime conducit, & quidem pro ratione circumstantiarum vel in brachio, vel in pede suscipienda; qui vero plethora ad habitum gaudent, aut hoc evacuationis genus reformidant, aut eidem non dum adsueti sunt, his scarificatio ad minimum suadenda erit, quo aliqualis saltem depletio obtineatur, morbisque tandem aliquando pertimescendis aliqua adhuc ratione ingravescendi occasio præscindatur. Huic sanguinis ventilationi præmittenda, aut statim subjungenda erit *purgatio moderata per inferiora*, remediis cuiuslibet constitutioni proportionatis, haud tamen admodum drasticis, perficienda, ne vires nimium abinde prosternantur, imo etiam una vel altera vice reiteranda, si præprimis graviores antea circa diætam forsitan commissi fuerunt errores, aut de faburra impuritatum, in primis viis jam jam collecta, justa subest suspicio; Vomitoria autem, etiam in adsuetis, pro hoc scopo adhibenda esse minime consultum reputamus, ne ventriculi tonus nimium debilitetur, aut gravior ille, sub navigationis initium plerosque affligens Vomitus, magis adaugeatur, quod sane ab usu catharticorum nunquam

pertimescere, quin potius abinde aliqualem ejus mitigationem sperare licet.

### §. XI.

*Victus denique rationem quod attinet, ex haec tenus jam jam adductis facile liquet, quomodo ipsa sub itinere comparata esse debeat, adeoque ante ejus ingressum eadem observanda erit, hac tamen simul conjuncta cautela, ne forsitan lauta nimis, aut plus iusto scrupulosa sit, quoniam hæc, dum sub navigatione dein continuari haud potest, majora plerumque & graviora incommoda post se trahit: Pervulgata enim omnium fere Medicorum & Philosophorum est sententia, ab adsuetis nullam fieri passionem, atque mutationem modicam, paulatim & successive factam, omnino tutissimam esse, adeoque, cum navigantes probe sciant, quod durante itinere suo vix unquam exactum ratione diætæ observare queant ordinem, utique antequam huic se se accingant, operam dare debent, ut omnibus illis circa res non-naturales tunc sæpiissime perferendis mutationibus, nisi malæ & noxiæ eadem fuerint, antea, quoad fieri potest, advescere discant, sicque dein commodius easdem ferre queant, secundum illud Poëtæ:*

*Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim.  
Hac ergo ratione, & conjuncta semper prudenti observatione illarum rerum, quæ, prout adhibentur, vel obesse, vel prodesse possunt, navigantium sanitatem diu satis illibatam conservari posse merito confido: Ars enim, prout GALENVS de sanitate tuend. VI. 10. optime scribit, quæ sanitati tuendæ præsidet, iis, qui sibi paruerint,*

con-

constantem sanitatem promittit; qui vero parere recusant,  
iis perinde est, ac si omnino non esset.

## SECTIO POSTERIOR.

### *De restituenda navigantium sanitate.*

#### §. I.

**D**emonstrato haec tenus modo conservandi sanitatem navigantium, nunc quoque, qua ratione eadem restitui queat & debeat, indagandum erit, quod ipsum tanto magis necessarium existimamus, quo gravioribus & frequentioribus illi ipsi, durantibus ejusmodi maritimis itineribus, plerumque expositi sunt morbos insultibus, adeo, ut ex centenis navem concendentibus, & in primis regna procul a patriis dissipata focus potentibus, vix decem itineris sui cursum inconcussa & illibata absolvant sanitatem. Ut autem omnia, quae ad hunc pertinent scopum, convenienti exhibeamus ordine, optime nos acturos arbitramur, si morbos ipsos, navigantibus solenniores & quasi proprios, prius secundum signa, symptomata atque causas breviter delineabimus, & tandem quam ratione commodissime abinde liberari & in pristinam sanitatem restitui queant talia subjecta, demonstrabimus. Facem equidem in eo nobis quodammodo praetulerunt GLAVBERVS & COCKBURNIVS, minime vero omnia, quae hoc spectant, debite exhauserunt, quin potius amplissimam, fusius hanc materiam pertractandi, occasionem nobis reliquerunt. Ille enim in Tractatu suo, *Trost der Seefahrenden* inscripto, non nisi famem

& sitim tanquam præcipuas navigantium molestias re-spiciens, his quoque saltem medelam, & quidem fami ex frumento concentrato & in mellis formam redacto, siti vero ex Spiritu Salis, singulari ratione parato, afferre allaboravit; hic vero, COCKBURNIVM puto, in *Tr. de morbis navigantium*, quem particulam tantum, seu prodromum futuri majoris operis esse, ex *Actis Erudit.* *Lips. Ao. 1697. p. 549.* & *1698. p. 523.* cognoscimus, de Scorbuto & febribus navigantium unice fere agit, & observationes quasdam huc pertinentes simul adducit, reliquos autem morbos vel intactos relinquit, vel brevissime saltem adducit. Hinc etiam defectum hunc ce jam jam Ao. 1715. felici sidere supplere annisus fuit Dn. M. W. ab Asperen, in *Dissert. de morbis Classiciorum & Navigantium, eorundemque remediis*, sub Præsidio Excell. D. CHRISTIANI VATERI ventilata, cujus ve-stigiis ulterius nunc inhærere, simulque ea, quæ haec te-nus in Russia circa ejusmodi morbos à me, Respon-dente, observata sunt, adjicere placet.

## §. II.

Dum ergo heic loci de præcipuis navigantium morbis agendum nobis est, hoc ante omnia monere volumus, quod sub hoc titulo minime omnes indiscre-tim morbos, epidemios pariter ac sporadicos, navigan-tibus quibusdam etiam quandoque ex causis speciali-bus familiares, intelligamus, sed saltem illos, qui ob singularem alimentorum & potulentorum, nec non aëris, loci & vitæ generis conditionem plurimos na-vigantium invadere, aut, si etiam unum alterumve tantum corripiant, per causas hasce magis augeri & exacer-

exacerbari solent. Hinc, licet etiam, teste quotidiana experientia, hi ipsi morbi itidem terræ incolis, variis in locis & regionibus obtingant atque solennes sint, eos tamen in navigantibus, ob prædictas specialiores causas, maxime autem diætæ vitia, crebrius occurrere, ob varia sanationis impedimenta pertinaciores & graviores esse, & ob arctius, quod hoc hominum genus inter se habet, commercium, facilius se se diffundere & contagiosam indolem assumere, adeoque exactiorem considerationem, tam respectu curationis, quam præservationis, jure meritoque sibi vindicare, reputamus.

### §. III.

Antequam autem ad recensionem & pathologico-practicam horum morborum tractationem nos accingimus, paucis prius diætam cum universo navigantium vitæ genere adumbrare placet, quoniam maxima illorum pars abinde vel initia, vel incrementa sua capit. Diætam quod attinet, differt equidem illa quodammodo secundum nationum diversitatem, siquidem alia in Britannicis, alia in Batavorum & Hispanorum, alia in Russorum & Suecorum navibus usitata sunt alimenta & potu-lenta; in eo tamen ubique conveniunt, quod illa crassiora, fumo indurata, salita, dyspepta, una cum pane biscoeto & summe exsiccato, hæc vero, præter aquas spirituosas ipsumque spiritum vini, ut plurimum aquosa, ad fermentationem & putrefactionem pronissima, aut etiam cerevisiaria admodum saturata, spissa & pinguis sint. Communissima enim fercula Britannicæ nationi durante navigatione sunt carnes suillæ, sale conditæ, cum fructibus leguminosis; Batavis aliisque usitatores sunt

sunt carnes bubulæ itidem salitæ, aut fumo induratae, unacum caseis; Russis vero nostris pisces duriores, tam exsiccati, quam muria conditi, solenniores sunt, quibus dein ordinarie copiosam super ingurgitare solent spiritus vini quantitatem. Et haec ipsa alimenta vix unquam inconvenienti & proportionata quantitate, nec etiam tempore debito assumuntur, quin potius plerumque in copia satis notabili, quandoque vero etiam in defectu porriguntur, si præprimis itinera diurniora, aut naves ipsæ ventorum & tempestatum impetu ab ordinario suo cursu aliorum propulsæ & abruptæ fuerint. Proinde etiam aër corpora navigantium ambiens adeo insigniter continuo alteratur, ut vel exinde solum gravissimi pertimescendi sint affectus, siquidem is interdum tranquillus, frequentius autem turbulentus, impetuosus, nebulosus, crassus, pluviosus, salsus, squalidus & foetidus existit, & tunc tanto graviora communiter infert pericula, quo minus antea subeundis ac perferendis tantis mutationibus adsueta fuerunt ejusmodi subjecta.

#### §. IV.

Præterea quoque debitum ratione motus & quietis vix unquam observare possunt ordinem & proportionem, cum nulla destinata horum habeant tempora, nec ullam sine turbatione & absque prægressis prius arduis laboribus obtinere possint quietem. Vigilandum ipsis est dum aliud dormiunt, & dormiendum quando licet & vacat; statâ autem horâ somno indulgere, aut certo noctis tempore lectum bene stratum & mollem intrare, nec non in bene clauso & munito conclavi

vi quamdiu lubet requiescere viresque reficere, prorsus alienum a navigantibus est. Nec licet etiam, quod plurimos itidem arcere potest morbos excretionibus ordinariis & naturalibus debito tempore vacare illasque observare, cum innumera ocurrant impedimenta carundem successum legitimum turbantia & suspensorientia. Denique animi pathematum noxas, praesertim subitanei & ingentis terroris, ex praesentissimis vitaे periculis, nec non timoris & tristitiae, aut quandoque etiam iracundiæ, minime omnium evitare licet, cum hæc aliaque innumera mala die noctuque navigantes quasi comitari, ipsorumque sanitatem multis modis debilitare, imo quandoque prorsus prosternere soleant, prout hoc nunc fusius in subsequentibus demonstrabimus.

### §. V.

Ut autem clarius nunc innotescat qualia potissimum sanitatis pericula incurrere queant navigantes, quave ratione abinde iterum liberandi sint, necesse utique erit, ut eadem secundum varias suas origines in diversas, dispescamus classes, quarum *prima* comprehendet morbos omnibus fere, speciatim prima vice navem concendentibus, quasi proprios, & ex peculiari navis ac ipsius pelagi agitatione dependentes; *altera* eos, qui ex victus ratione proveniunt, *tertia* affectus ab impeditis turbatisque se- & excretionibus prognatos & tandem *quarta* externas læsiones, per varias singulares causas inductas & excitatas. Primus igitur navigantium, praecipue novellorum, morbus est *nausea* & *vomitus*, molestam insimul *capitis* vertiginem, imo dolores, ap-

D

peti-

petitus dejectionem, anxietates præcordiales, aliaque symptomata simul conjuncta habens, quæ omnia dein collectim sumta sub vulgari titulo die **See-Krankheit** comprehenduntur. Hæc sane incommoda usque adeo vulgaria & frequentia sunt, illis maxime, qui primum iter maritimum ingrediuntur, ut licet sanissimi & robustissimi fuerint, tamen ad unum fere omnes, vix centesimo excepto, iisdem se subjecere cogantur, tanto magis vero illi, quorum ventriculus debilior aut saburra viscida & biliosa prægravatus, nec non viscera obstructa aut qualitercumque læsa sunt; qui vero huic vitæ generi diutius jam jam adsueti sunt, ut plurimum postea imminunes abinde vivunt, licet etiam **LEN TILIO** quidam occurrerint, qui nunquam impune se ventis dederunt, quin semper istud pendere tributum atque creberrimis vomitibus de novo quasi inaugurari cogerentur; quemadmodum ē contra etiam alias vidit, qui, cum primi vectores nil triste sentirent, alia tamen vice commune malum experiebantur, quos inter se met ipsum quoque numerat in *Append. ad Decur. III.* *Ann. 6. A. N. C. p. III.*

## §. VI.

Initium harum molestiarum ordinarie est *nausea*, eaque admodum molesta & pertinax, inprimis si vomitus non statim subsequatur, tunc enim **Cephalalgias** & **Cardialgias** admodum vehementes simul inducit, ruitusque biliosos & adversos, sub continuis spasticis ventriculi stricturis, protrudit, & gravius subjecta affigit, quam ipse actualis vomitus, quemadmodum hoc etiam **SENECA**, peregrinator quondam in Ponto, expertus esse

esse videtur, quoniam Epist. 53. his desuper conqueritur verbis : *Nausea me segnis & sine exitu torquebat, quæabilem moveret, nec effundit.* Proinde etiam appetitus ciborum atque digestio hac ratione statim eximie læduntur & turbantur, simulque tonus ventriculi usque adeo debilitatur, ut molliores quoque & evpeptos cibos postmodum vix perferre queat, nisi in quantitate parciissima successive assumantur. Porro nunquam sine vertigine occurrit hæc nausea, imò vertiginosis facilius atque frequentius accidit, &, quod probe in primis notandum esse judicamus, si ab initio statim concurrit, tunc Vomitus citius semper & facilius cum levamine subjectorum sequitur; hinc etiam, si nauseam talem molestissimam & pertinaciorem vomitus exciperet non possit, optime per vertiginem quocunque modo concitatam is promte & salutariter acceleratur, confirmante id ipsum Celeberr. BOYLE, util. philos. experim. Part. II. Seçt. I. Exerc. 5. cap. 14. §. 8. his verbis : *Notatum dignum est, quod, si quis, mare sulcans, nausea, non tam ad vomitum sufficiente, tentetur, à nautis de navis late-re in aquam prospicere jubeatur, quo, celeri navigii decursu, aqua rapide profluere visa, velocis fluminis vices explente, spectator, vertagine concitata, facilius vomere possit. Quod ipse non semel sanitatis, causa nauseam promoturus, expertus sum.* Proinde etiam hoc notari adhuc meretur, quod communiter non omni indiscretim tempore & sub qualibet cœli constitutione eadem vomituriendi legi teneantur navigantes : Juxta OLEARII enim relationem, in Itiner. Pers. Lib. I. cap. 2. id non semper & in omnibus accidit ab initio, dum ventus placide susur-

rat, sed tunc demum, ubi oborto ventorum fremitu fluctus majore impetu insurgunt, quod & HOLLERIVS *Comment. in Aphor. Hippocr.* p. 181. confirmat his verbis: *Non quivis motus in navigatione nauseam & vomitum scient, sed præsertim isti, quibus corpora sublevantur cum navi & fere subito deprimuntur, aut in gyrum circumferuntur.*

## §. VII.

Causas hujus propemodum inevitabilis mali quod attinet, circa ipsarum indagationem Medici pariter ac Physici in diversas abierunt partes: Nam JOH. ACOSTA *Lib. III. hist. natur. cap. 9.* aëri marino ejusque exhalationibus, ut & ventis naturæ insuetis, id ipsum tribuit; quemadmodum etiam PONTANVS *Attic. bellar.* p. 524. & HOLLERIVS *l. c.* itidem fastidiosæ exhalationi salsuginis marinæ molestissimum hoc symptoma tribuit, sed absque sufficienti rationis fundamento, quoniam illi quoque, qui super flumina vehuntur insueti, simili non raro vomitu, licet fortasse paulo mitiori, divexantur, prout hoc in Volga fluvio in aliquibus se observasse refert OLEARIVS *l. c.* insuper etiam aliis quam plurimis à mari longissime remotis, si curribus vehuntur, eadem nauseandi & vomendi necessitas imponitur, etiamsi nulli ejusmodi halitus salsi adsint. Propius autem ad verum collimare videtur HIPPOCRATES noster, dum *Sect. IV. Aphor. 14.* ita scribit: *Epoto Helleboro motu ciendum corpus potius, quam somno & motus vacuitate compescendum: nam corpora motu cieri (aut turbari) vel ipsa indicat navigatio; unde liquet, quod ab humoribus tali ratione commotis & exagitatis Vomitum*

tum talem arcessere velit, in quo etiam consentientes habet plurimos suorum Interpretum, speciatim *Heurnium & Hollerium*, quorum ille insimul, juxta antiquiora principia, refluxum humorum ē venis ad ventriculum, ope hujus motionis factum, incusat.

### §. VIII.

Ex recentioribus vero, præter WILLISIVM, SYDENHAMVM & DOLÆVM complures adhuc alii vomitum huncce a vehementi spirituum dense conglomeratorum, in fibras circulares pylori, impulsu, excitati autumant, quoniam nimirum sæpe numero is admodum vehemens, quin imo non raro momentaneus est, & non solum quandoque statim, dum vix navem concenterunt, oboritur, sed & sub eodem stupenda bilis quantitas excernitur, adeoque vix ac ne vix quidem concipi potest, unde spatio temporis adeo brevi, maxime in corporibus antea sibi nil infirmi consciis, tanta biliosæ ejusmodi saburræ copia colligi queat, quæ forsitan ventriculo ante quadrantem horæ non inextiterat. Cum autem nondum liqueat, nec etiam ipsis, uti videtur, sufficienter pateat, qua ratione tumultuarius talis spirituum fictorum impulsus fieri, hique insimul pilæ ad instar conglomerari queant; hinc potius unice ex nervorum consensu causam nauseæ & vomitus hujus marini petendam esse, hæcque pathemata hac potissimum ratione excitari reputamus. Per inconsuetum & prorsus singularem navium motum & agitationem, dum nempe subito attolluntur, vel in abyssos præcipitari videntur, modo antrorum, modo retrorum propelluntur, aut in gyrum quasi volvuntur,

& quaqua versum librantur atque iectigantur, ita ut insueti navigantes erecti in iis stare aut incedere vix queant, non solum eorundem motus & circuitus humorum naturalis eximie turbatur, simulque ordinaria cujuscunque visceris functio & in primis ventriculi digestio, graviter impeditur, sed & insuper, ob humorum circa cerebrum restagnationem & copiosiorem collectionem, vertigo inducitur, nervorumque principium plus justo comprimitur, quam compressionem dein quodammodo auctior eorundem strictura spastica sequitur, haecque nervis reliquis propioribus communicata, per consensum tandem prius in pylori circumlum nervosissimum, dein quoque in ventriculi fibras propagatur, unde haec pariter spasmodice contractae, non modo nauseam & copiosam salivæ in ore collectionem, ob nervum sexti parisi a superiori orificio ventriculi ramulos versus glandulas faucium spargentem, sed tandem quoque actualem vomitum concitant. Hic enim fiendi modus & ratio satis probabilis si admittitur, statim nunc exinde liquet, cur insuetis potissimum, & prima vice navem consendentibus solennior sit hic Vomitus, cur non semper sub placido navium motu, sed potius sub agitatione ipsarum paulo vehementiori oboriatur, & cur per acceleratam & auctam qualitercunque vertiginem promoveatur, prout in §. VI. jam jam indicavimus, quæ omnia, uti & reliqua simul occurrentia phænomena, ex alio fundamento minime convenienter explicari & demonstrari poterunt. De reliquo prorsus negare haud lubet, quod & terrori, anxietati atque metui, quibus in primis novelli navigantes

præ

præ aliis magis obnoxii sunt, nec non depravatæ imaginationi, sub his circumstantiis pariter aliquid tribendum sit, dum nempe mare saltem moveri, navem autem subsistere sibi videntur, ad instar illorum, qui venturæ in rhedis non sunt adsueti, atque, si apertis oculis exinde in terram prospiciunt, facilius nauseant & vomunt, quam si eosdem clausos tenent.

### §. IX.

Quanquam autem Vomitus tales, dummodo non nimium excedant, nec admodum diu durent, minime periculosi sint, imo etiam multis medicinæ loco inseruire queant, dum impuritates primarum viarum, diu forsitan antea collectæ, hoc modo salutariter per viam brevissimam evacuantur, minime tamen convenit propterea ab omni medicamentorum usu abstinere, quin potius sedulo invigilandum est, ne, quod alias ipsis per quam solenne est, in noxios degenerent excessus, sicque demum gravioribus affectibus originem & irrumpendi occasionem præbeant. Primis equidem diebus non statim expedit eosdem cohibere, quin potius assumptione moderata potulentorum calidorum aut tepidorum quodammodo adjuvandi sunt, quoniam hac ratione sæpiissime alii in futurum sub ejusmodi itineribus adhuc pertimescendi fontici morbi feliciter præcaveri possunt; quem in finem etiam, si molesta & inanis saltem nausea subiecta talia affligat, nullaque occurrant contra-indicantia, lene quoddam emeticum ex Rad. Ipecacuan. gr. XV. &  $\frac{1}{2}$  i emet. gr. j. tuto propinare licet. Si vero pertinacius insistat anoterica hæc excretio, & sub insigni Cardialgia capitisque doloribus nihil fere am-

amplius prodeat, ita ut soli illi anxii vomendi conatus saltem adhuc continuent, tunc allaborandum quoque est, ut convenienter mitigetur, ne ventriculi tonus plane destruatur & sic pejoribus consecutariis via pandatur. Ante omnia igitur subjecta talia, juxta BARTHOLINI consilium in Tr. de peregrinatione medica, ex GORDONIO allegatum, eligant sibi locum a sentina longinquo & ab omni sorde, (i. e. in summa navis tabula,) & stent in aëre frigidiori & altiori, quantum erit possibile, & si de facili nauseant, teneant se ad columnam, (s. maliūm) & odorent panem assūm; sumant valde parum de cibo & potu, &c. Si dein præsto fuerint remedia quædam stomachica & tonica, v. g. Tinct. Oli Martis Ludov. Elix. Oli Myns. Ess. Absynth. compos. Gent. r. Cort. Cascar. theriacal. Tragea aromat. pulvis stomach. Birckm. Aquæ spirituosa Cinnam. cydoniat. Carbunc. mastich. & tus theriacalis, possunt & hæc parcis, sed simul repetitis vicibus cum vino exhiberi, simulque externe sacculos aromaticos & roborantes, nec non Emplastræ & Linimenta stomachalia cum oīis destillatis parata, atque alias in hyperemesi usitata applicari.

## §. X.

Quodsi vero nihil horum in promptu fuerit, aut etiam talibus remediis cedere recuset hic Vomitus, tunc specifici ad instar ipsa aqua marina tam sola, quam cum vino mixta commendatur, egregio plerumque cum effectu ob contenta salia insignem virtutem tonicam exhibentia, quorum intuitu eam quoque præservative conducere jam dudum nautæ observarunt, testimonio BARTHOLINI l. c. ita scribentis : Naur-

rum

rum secretum est, haustus aquæ salsæ marinæ, quam primum  
navim intraveris; nec non Scholæ Salernitanæ, hancce  
observationem suppeditantis:

*Nausea non poterit quenquam vexare marina,*

*Undam cum vino mixtam qui sumferit ante.*

Proinde nota etiam est quædam mixtura salium,  
quæ tam ad avertendum, quam compescendum talem  
**Vomitum** itidem eximie laudatur, & ab HARTMAN-  
NO in *Praxi Chymiatr. Cap. de Nausea* describitur.  
BLANCARDVS in *Collectan. Med. phys.* 1680. p. 193.  
commendat pulverem ranarum calcinatarum, cuius  
tribus vel quatuor diebus ante navis ingressum 3j. assu-  
mi deberet. Tandem etiam Illustr. BACO de VERV-  
LAMIO *Histor. vit. & mort. operat. super exclus. aër.* §. 15.  
p. 537. se meminisse refert, quendam Anglum, ut ve-  
tigalia supprimeret, Croci saccum, cum transfreta-  
ret, circa stomachum portasse, ne detegeretur, eumque,  
cum antea ex mari gravissime ægrotare solitus esset,  
optime tunc valuisse, nec nauseam ullam passum fuisse,  
testimonio sufficienti, quod etiam externa nervina &  
lenientia multum emolumenti pro mitiganda impe-  
tuosa hac evacuatione afferre queant.

### §. XI.

Præter Vomitum autem ob eandem causam Na-  
vigantes etiam frequentissime *Diarrhœis*, tam simplici-  
bus, quam torminosis, molestantur, speciatim si con-  
stitutionis biliosæ, aut cacochymicæ fuerint, aut alias  
jam jam ventriculi quadam debilitate tam ex prægres-  
so vomitu, quam aliis ex causis, laboraverint: Com-  
muniter enim non solum sub insolita corporis inter-

navigandum sustinenda agitatione, sed & ob insensibilis transpirationis, sub aëre tam crasso, humido, plerumque frigido, facillime contingentem suppressionem, copiosior humorum versus interiora & præcipue intestinorum canalem oboritur affluxus, qui dein, dum paulo acrior insimul talis serosus latex intestinorum parietes magis irritat & stimulat, ulterius augetur & continuatur, sicque demum tales alvi fluxus eodem prorsus modo inducit & excitat, sicuti alias quoque iis, qui in terris degunt, ex graviori qualicunque sudoris impedimento frequentissime evenire solent. Methodus igitur medendi equidem fere eadem est cum illa, quam in Vomitū antea allegavimus, in primis quod stomachica & moderata tonica, nec non prudentem & minime præcipitantein earundem cohibitionem attinet; conjungenda autem, aut prædictis istis medicamentis sedulo interponenda sunt mitiora diaphoretica, v. g. præter infusa theeformia, aut juscula calida, in pulveribus Antim. diaphor. Bezoard. min. Rad. Contrayerv. &c. in Mixturis Effent. Alexiph. Stahl. C. B. Scord. Pimp. alb. &c. tandemque additis securis & lenioribus adstringentibus, v. g. Pulv. Pannoni. r. bezoard. Senneti. Spec. de Hyac. Unicornu fossili, C. C. usto, Corall. r. ppt. &c. sigill. &c. si medicamentis modo allegatis debite mitigari haud queant ejusmodi excretiones, reliquum hujus negotii perficiendum erit.

## §. XII.

Denique etiam complures Navigantium sub iisdem circumstantiis admodum frequenter *obstructiones alvi*, & quidem interdum satis pertinaces, experiuntur, quæ

quæ suam plerumque originem partim prægresso diuturniori Vomitui, partim etiam negligentiae, aut intempestivæ cuidam, fœminino in primis sexui per quam solenni verecundiæ, debent, dum nempe sæviente tempestatum impetu, continuas inter anxietates mortisque imminentis metus, ad ordinarios ejusdem stimulos vel plane non attendunt, vel eosdem etiam supprimunt, unde dein tanta sæpius fecum alvinarum exsiccatio & induratio, tamque rigida ani constrictio subsequitur, quæ vix Clysteribus aliisve aperientibus emolliri & relaxari potest. Sic & sub continuo isto Vomitu vel nulli prorsus cibi ingeruntur, vel ingesti non digeruntur, sed statim iterum ejiciuntur, adeoque pauca aut nulla excrementa colliguntur, vel denique ob diuturnitatem hujus excretionis Natura inverso tali motui peristaltico usque adeo adsuescit, ut contenta ventriculi, alias ad inferiora detrudenda, immediate semper ex eodem propellat, sicque necessariam istam alvinam excretionem in totum fere negligat, & corpori suo tanto graviorem noxam simul inferat. Imo, licet etiam absente tali Vomitu, appetitus Navigantium, juxta HELMONTII observationem, tam vegetus communiter esse soleat, ut in majori quantitate, quam ii, qui in terris degunt, cibos quoscunque assumant, vix tamen egerenda postmodum ingestis istis debite respondent, imo potius pertinacissimæ obstructiones alvinæ admodum frequenter inducuntur, partim ob aërem ambientem, salinis & exsiccantibus particulis nimium refertum, partim ob auctiorem, inter continuos labores, transpirationem, indeque oborientem

tenuium humorum jacturam , partim denique ipsorum potulentorum diluentium plenarium defectum, variis ex causis saepissime sub ejusmodi itineribus contingentem , aut copiosiorem spirituorum ingurgitationem, Russis nostris in specie per quam familiarem, & multum itidem pernicioseas ejusmodi constipationes promoventem. Ante omnia igitur , pro obtainenda saluberrimae hujus excretionis restitutione, ad specialiores hasce modo recensitas causas respiciendum, iisque, quantum fieri potest, convenienter resistendum erit, & quidem inversioni motus peristaltici, aut debilitati*n* ipsius toni ventriculi per remedia in priori §. X. & XI. jam jam recensita ; exsiccationi autem & induratio*n* scybalorum per diætam humectantem & remedia Θina abstergentia, Φsa, ipsosque Clysteres domesticos & emollientes, si fieri potest, ex sola ∇a dulci, butyro leviter salito & ḡeo Lini paratos, nec non potulento*r* rum depravatorum correctionem mediante coctione cum pane, rasura Liquiritiae , Passul. majoribus, Sem. Anisi, vel Fœnic. item filtrationem & additionem aliquot guttularum Spir. Φi, Θis, aut Θli, tam simplicium, quam dulcificatorum.

## §. XIII.

Inter secundæ classis morbos, navigantibus potissimum ex indole diætæ solennes, primum jure meritoque locum occupat *Scorbutus*, partes non solum fluidas, sed & ipsas tandem solidas occupans, inquinans, corruptens atque depascens, variosque alias affectus successu temporis inducens, vel saltem concomitans, eoque ipso magis adhuc exacerbans. Signa ejus, cum præ omni-

omnibus aliis, malum hocce nostros in specie Russos  
frequentissime sub maritimis itineribus affligat, usque  
adeo cuilibet classiario nota sunt, ut ob chartæ & tem-  
poris angustiam fusiore eorundem recensione facile su-  
persedere, atque ad causarum potius indagationem &  
methodi medendi demonstrationem progredi queam.  
Eminet autem ex illarum numero in primis noxia illa  
aëris marini qualitas, quippe qui non solum, dum va-  
riis perniciosis effluviis, maxime autem salinis, muria-  
ticis & foetidis abunde refertus est, hacque ratione plu-  
rima illorum sub inspiratione simul humoribus com-  
municat & hos successive inspissat & aciores reddit;  
sed &, dum concurrente frigiditate & crassiori humiditi-  
tate ordinariam transpirationem impedit & fere in to-  
tum suppressit, eximiam utique inducendo & accele-  
rando huic affectui suppeditat occasionem, quæ dein  
per alimenta ipsa & potulenta navigantibus familiaria  
adhuc facilius in actum ducitur. Consistunt enim  
illa, uti ex parte etiam superius jam indicavimus, in pa-  
ne crasso, indurato, vel etiam bis cocto, raro debite  
fermentato, adeoque ut plurimum mucido & fracido,  
varii generis carnibus, vel fumo induratis, vel sale con-  
ditis, in primis autem piscibus eodem modo conserva-  
tis, non nisi viscidum, glutinosum & salsuginosum chy-  
lum suppeditantibus, item fructibus leguminosis, ca-  
seo & butyro rancido, aliisque dyspeptis; hæc vero  
vel vinosa, vel cerevisiaria, vel aquosa sunt, & quidem  
singula fere ad corruptionem acrem, acidam & fer-  
mentescentem, imò, ob diuturnitatem itineris aërisque  
crebriores mutationes, non raro etiam foetidam &

putridam pronissima, ad quam corrigendam, aut saltem noxios abinde pertimescendos effectus quodammodo præcavendos, communiter sat magnam spiritus vini quantitatem interponere & superingurgitare solent, quod in primis Russis nostris per quam solenne est, sed plerumque infausto, imo interdum funesto cum effectu, quoniam peregrina ista, copiosius jam jam in corporibus ipsorum accumulata salia, mediantibus hisce spirituosis subinde magis resolvuntur, exaltantur & commoventur, ut dein major non solum humorum acrimonia ac spissitudo, sed & gravior vasorum atque viscerum exsiccatio, infarctus atque obstructio subsequantur, sicque non tantum infensissimus iste sanitatis navigantium hostis, Scorbutus nempe, vires & incrementa perniciosa abinde capiat, sed & pluribus aliis periculosis & perniciosis affectibus porta aperiatur, quos fusius jam jam recensuit Clariss. KÖLICHEN in *Actis Med. & Philos. Haffniens.* Ao. 1679. *Observ.* 118. p. 313.

#### §. XIV.

Eandem quoque originem, sanguinis nempe visciditatem, salsedinem & acrimoniam, ex depravata vietas ratione dependentem, agnoscent adhuc complures alii navigantibus communes, licet non semper adeo frequentes morbi, speciatim vero dirissimi illi *dolores arthritici*, tam vagi, quam fixi, innumeris adhuc symptomatibus plerumque stipati, & pro diversitate subjectorum atque temperamentorum, nec non complicationum cum aliis causis morbificis, diversimode ludentes, variisque modis miserios navigantes gravius ut plurimum, quam alios, excruciantes, & vix unquam aliqua

aliqua saltem ratione remittentes , nedum plenarie cessantes, nisi ubi diæta ista inconveniens in meliorem & paulo accuratiorem mutata fuerit , quod tamen, quamdiu per æquora adhuc vehuntur ejusmodi ægrotantes, sperare haud licet, quoniam, quod in primis valdopere dolendum est , ratissime talibus simul instrutæ sunt naves alimentis, quæ pro adornanda decumbentium & convalescentium diæta necessaria atque proficua forent ; hinc etiam, teste experientia , si diuturniora fuerint talia itinera , nec interdum pro obtinendo isto scopo ad littora naves applicare liceat, complures ita afflictorum vel morti occumbunt , vel sub hac morborum tyrannide usque adeo discruciantur, ut nunquam postmodum pristinam sibi iterum promittere aut recuperare queant sanitatem : Humores enim jam jam inquinati tunc quovis fere momento novis impuritatibus obruuntur , & necessariæ secretiones & abstensiones in visceribus magis magisque turbantur , imò supprimuntur , subsequentे simul horum organorum graviori debilitatione, unde tandem nil nisi pessima emergere possunt consectaria , in primis vero, si prædicta acriora salia largius tandem intra articulorum ligamenta secedunt, stagnant atque subsistunt, tunc eadem non solum laudabili sua humiditate unctuosa destituuntur, sicque exsiccantur, contrahuntur & duriora atque rigidiora reduntur, ut dein ad motum prorsus inepta evadant; sed & insuper ob salium istorum cum lympha ibidem transiente intimorem commixtionem, ac tandem subsequenterem concretionem & serositatis aquæ exhalationem,

nem, *tophos*, *nodos* & *gummata* in illis regionibus producunt, cum majori partium contractura & hanc deum excipiente totius membra aridura.

## §. XV.

Eadem fere tragœdia luditur, si impuritates ejusmodi salinæ atque tartareæ magis versus interiora organa colatoria, seri secretioni & conversioni in urinam potissimum destinata, deturbantur, siquidem tunc facile ibidem cum transeuntibus teneroribus mucilaginosis atque terrestribus particulis coalescunt, & prius fabulosa, tandemque *calculosa concrementa*, immenso dolorum agmine pariter stipata, formiant atque producunt. Quod si vero contingat, ut forsitan ratione ætatis, temperamenti & prægressi vitæ generis in quibusdam navigantium naturalis viscerum tonus & robur ordinarium sub tali victus ratione non statim eximie lædatur, neque etiam tota sanguinis massa impuritatibus istis plenarie inquietur, sed hæ potius à nobiliores partibus ad ignobiliores, & ab internis ad externas propellantur & deferantur, tunc plerumque *scabiosæ* & *fædæ ulcerosæ* ibidem emergunt *corruptiones* partiumque erosiones, non quidem adeo periculosæ, sed tanto magis rebelles & refractariæ. Et huc quoque pertinet illa *scabiei ferinæ* & *contagiosæ* species, quæ *Sarna Portugalensibus* dicitur, atque juxta relationem *Pauli Anton. ZUCHELLI de Gradisca*, si semel incrementa quædam sumsit, plerumque dein usque adeo per totum se se extendere solet corpus, ut, *Lepræ Arabum* ad instar, omnia viscera & singulas ejus partes occupet, suamque in primis originem qualitati aëris salinæ & admodum cras-

crassæ, (cui etiam navigantium diæta simillima est,) secundum propriam incolarum confessionem & observationem, unice debeat.

## §. XVI.

Quo ergo ab hisce malis gravissime afflita navigantium sanitas, quantum possibile est, iterum libetur & restituatur, eo ante omnia allaborare convenit, ut tam aëris prava constitutio, quam vix tis ratio quodammodo corrigatur, hujusque errores, in quantum circumstantiæ id ipsum permittunt, sedulo evitentur. Pro correctione aëris, præter moderatum & cuiuslibet temperamento ac consuetudini proportionatum tempestivum fumi tabaci usum, quo communiter superflua vitiosa humiditas cum saliva exturbatur, insimul quoque suffumigia è Ligno & baccis Juniperi, pulvere pyrio, Succino, Thure, Mastiche, aliisque, in contignationibus navis & ægrotantium cameris subinde excitanda, conducunt. Potulenta corrupta, aut impura, non solum filtratione & præcipitatione, ut supra adduximus, sed & affusione succorum ex herbis antiscorbuticis expressorum, aut harum quoque in iisdem maceratione, optime corriguntur; inter alimenta vero in specie panis mucidus exsiccatione, contusione & commixtione cum seminibus carminativis, carnes nimium salitæ, aut fumo induratae, paulo diuturniori maceratione in aqua dulci, coctioni earundem præmittenda, ita ad minimum præparari possunt, ut minus noceant. Cum autem summe refractarium hocce malum solis diæticis remediis vix unquam extirpari queat, aut iisdem cedere soleat, hinc insuper quoque pharmaceutica

cevtica in auxilium vocanda erunt, viscosam nempe & grumosam istam sanguinis spissitudinem incidentia, resolventia & attenuantia, simulque heterogeneas illas impuritates acres atque salinas abstergentia & per consueta emunctoria eliminantia, qualia, præter ordinaria evacuantia universalia, purgantia nimis diaphoretica & diuretica, in primis sunt specifica illa *antiscorbutica*, tam calidiora & magis volatilia, quam temperata, pro cuiusvis æ gri constitutione & temperamento feligenda, quæ alias circa loca maritima sponte & tanta in copia, ex speciali divina providentia, crescunt, quanta vix unquam alibi observatur. Eminent autem ex his speciatim Radix Armoraciæ, nostris præcipue Russis admodum usitata & per quam proficua, ut & Raphanus rusticanus, Herbæ Cochleariæ & Acetosæ, quæ in sterili cæteroquin Grœnlandia, ubi endemum & quasi domesticum est hoc malum, conjunctim & tam copiose proveniunt, ut etiam gressus viatorum impediант; item Beccabunga, Trifolium fibrinum aquaticum, Sedum minus, Centaurium, Chamædris, Chamæpytis, Absynthium, Chelidonium minus, Fumaria & Pimpinella, quæ tam in Essentiarum, Extractorum, Pulverum, Electuariorum & Pilularum; quam Juscularum, Infusorum & Decoctorum forma, additis insuper in refracta dosi Lignis Sassafr. Junip. & Gvajaci, commodissime exhiberi possunt, quoniam hoc ipso ultimo modo, ob dilutiorem talem formam & menstruum aquosum, non solum ad omnia vasa, etiam subtilissima, intimius penetrant, lentorem M. S. viscidum & eidem implicata Θia acida heterogenea diluunt, ad secessio-

nem

nem disponunt, abstergunt, & ita per ordinaria collatoria secreta, tandem expellunt, sed & insuper eis, balsamicis & Θinis acribus suis particulis tonum viscerum omnium roborant, eorundemque functiones & digestiones egregie adjuvant, tanto magis, si pro ratione circumstantiarum & conditionis ægrotantium alia insimul remedia, ad eundem scopum collimantia, videlicet Θia media & digestiva, cum absorbentibus, taliibus & cinnabarinis remixta, item Tincturæ ℥ii. & ℥i, Eff. Lignor. Gum. \*ci, Succini, Ωtus C. C. rectif. bezoard. Buff. Viper. Θis \*ci, Cochlear. aperit. Penoti, proportionatis dosibus adduntur & interponuntur.

## §. XVII.

Proinde etiam Radices Napi, & in primis Gotländici, utpote dulciores & acres nonnihil, solidiorisque substantiæ, nec adeo flatulentæ indolis, eximie, & quasi specifice contra Scorbutum laudantur à THOMA KINGO, in *descriptione Insulae Gotlandiae*, idque potissimum à manifesto in dulcedine calore, scorbuticorum illuviei contrario, dependere autumat BARTHOLINVS in *Actis Hafniens. Volum. IV. p. 127.* & quanquam insimul illos Napos, quos terra Hafniensis infelicius profert, tantas laudes haud mereri ingenue fateatur, plurimas tamen reliquarum herbarum, quæ eodem solo emergunt, aliquid alexipharmaci secum vehere contra inquilinam Scorbuti labem, experientia edoctus adserit. Hinc etiam ex iis *Aquam antiscorbuticam insignium virtutum composuit OLAVS WORMIVS*, quæ adhuc in Hafniensibus officinis prostat, multorum votis experta & usu maxime probata. Pararunt etiam priori seculo Me-

dici Hafnienses ex solo Naſturtio tylvestri, sive Thlaspi,  
 & volatili balsamico & antiscorbutico egregio prædi-  
 to, Spiritum quendam effentificatum, quem, cum prædi-  
 ta Aqua antiscorbutica Wormii exhibutum, reliquis omni-  
 bus palmam præripere, idem ille adseverat BARTHOL-  
 LINVS l.c. Interim si forsitan graviora quædam Scor-  
 buti symptomata propriam urgeant curam, eodem fe-  
 re modo iisdemque remediis illa profligari aut ad mi-  
 nimum mitigari poterunt, in primis autem ad gingiva-  
 rum corruptionem, sub hoc malo admodum frequen-  
 tem, inhibendam, Collutiones oris & faucium cum  
 Decocto Scordii, Salviæ, Card. ben. Cochlear. & Sedi  
 minoris, mediante ipsa aqua marina parato & Melle  
 Rosar. pro libitu edulcorato; contra scabiem autem  
 ferinam, nec non ulcera sordida & contracturas, Deco-  
 ctum Sedi minoris cum cerevisia paratum, tam lava-  
 menti, quam fomenti forma usurpatum, optime con-  
 venient. Tandem paucis saltem adhuc morbi cujus-  
 dam, navigantibus ex *victus ratione* perquam familiaris,  
 adeoque ad secundam hancce classem simul spectantis,  
*febrium nempe intermittentium*, mentionem injicere lu-  
 bet, quod nimirum eadem in primis admodum rebel-  
 les & pertinaces existant, ob causam materialem ma-  
 jora fere quotidie incrementa capientem, aut saltem,  
 quamdiu navalii ejusmodi diæta gaudent ægrotantes,  
 vix unquam plenarie è corpore proscribendam; hinc  
 etiam in illarum cura cautissime cum antifebrilium vul-  
 garium usu procedendum, & potius digestivis, abster-  
 gentibus, incidentibus, stomachicis & evacuantibus  
 repetitis continuandum erit, donec vel ex horum usu  
 cessent,

cessent, vel, absoluto itinere, convenientiori Diæta tales febricitantes recreare liceat.

§. XVIII.

Præter digestiones autem primarum viarum notum etiam est, quod, ob frequentissimas & subitaneas continuo fere occurrentes aëris mutationes, plerumque etiam *transpiratio* gravissime perturbetur & impediatur, indeque varii morbi, ad tertiam spectantes classem, oboriantur, in primis autem *Dysenteriae* & varii generis *Febres*, continuæ nempe, acutæ, malignæ & contagiosæ, quin ipsa demum *Pestis*, quæ omnes insuper adhuc deterioris indolis existunt, maioresque paroxysmorum exacerbationes, protractiones, multiplicaciones & mutationes, nec non rariores & difficiliores crises, præ iis, quæ in terris alias occurrunt, exhibere solent, ob innumeros nempe, tam prægressos, quam adhuc continuantes diætæ errores, humorum graviorem acrimoniam & visciditatem, ac impeditiorem necessariæ transpirationis successum. Hinc in cura ipsarum necesse utique est, ut ad causas istas specialiores & manifestiores in primis respiciatur, iisque in tempore convenientibus remediis resistatur, & quidem in *Dysenteria*, præmissa debita abstensione cum Rhabarbaro, vel etiam Rad. Ipecacuan. absorbentia, temperantia, dia-phnoica, mucilaginosa & lenientia alias usitata, hic quoque conveniunt, evitando simul positive adstringentium usum, & postulante tandem necessitate, mitioribus saltem tonicis & roborantibus terminosas ejusmodi excretiones iterum compescendo. In febribus autem, pro diversa tam ipsarum, quam ægrotantium

conditione, modo evacuantibus, tam Vomitoriis, quam purgantibus, supra allegatis, modo V. S. si eandem circumstantiarum ratio admittat, & tandem alterantibus, temperantibus, diapnoicis & antifebrilibus selectionibus, pugnandum & resistendum erit, ita tamen, ut debito tempore & congruo ordine singula hæc in usum vocentur, minime autem præcipitanti & intempestiva ipsorum applicatione morbi tales, in se jam sati spongiosi, pejores reddantur. Sic enim V.S. si legitima ejus indicantia adsint, nullaque suspecta contra indicantia eandem prohibeant, statim instituenda, imo urgente necessitate etiam repetenda erit; an vero eadem absolute in omnibus, maris culpa febricitantibus, juxta COCKBURNII sententiam, Tr. de affect. marinis, proficia sit, merito dubitamus, cum, licet hac ratione vasa sanguifera quodammodo depleantur, atque necessaria humorum ad motus proportio restituatur, insimulque moderata transpiratio, alias durante navigatione, ob aërem adeo crassum & frigidum, admodum impedita succedens, promoteatur, minime tamen simplex semper adsit plethora, sed sæpiissime Cacochymia viscida, vel scorbutica concurrat, quæ sane aliam prorsus medendi methodum, quam depletoriam talem, requirit. Reliqua autem quod attinet medicamenta, his præmissis tandem subjungenda, illa pro indicantium ratione eligi possunt, nempe si absque malignitate & contagio occurrant tales febres, tunc Oum chrystillis. Lap. Prun. Crem. & Chryst. ♀i, ♂ diaphor. Bezoard. min. C. C. phil. ppt. Mater. Perl. Oc. ♂. Conch. citrat. Corall. r. ppt. Ess. alexipharm. Stahl. TRa bezoard.

Wed.

Wed. & Mich. M.Ra simpl. c. & sine Camph. Eff. C. B.  
 Cent. min.  $\omega$ tus  $\Omega$ i dulc. aliaque commendari meren-  
 tur; si vero miasma quoddam malignum simul com-  
 plicatum sit, tunc quoque reliqua alexipharmacæ, ratio-  
 ne & usu sæpius jam jam comprobata, videlicet Lap.  
 bezoard. Or. & occid. Lap. de Goa, Piedra del Porco,  
 Margar. Or. ppt. pulvis cephal. Mich. & bezoard.  
 Wed. in usum vocanda, aut prioribus istis conjungenda  
 erunt.

### §. XIX.

Tandem quoad quartæ classis morbos, navigantes  
 quoque sæpius ab *inclemensia frigoris*, quod in locis ma-  
 ritimis, ob falsedinem & crassitatem atmosphæræ, gra-  
 vius semper, quam in terris, in primis circa Zonas fri-  
 gidas, observatur, ita lœduntur, ut vel membra quæ-  
 dam extrema, cartilaginosa & tendinosa, sublato repen-  
 te ibidem motu & circulo sanguinis, & oborto ex in-  
 Sphacelo, veluti aures, nasos aut digitos, perdant, vel  
 internam visceris alicujus labem, quam dein Asthmata,  
 Phthisis & Hæmœma presso pede excipiunt, sibi contra-  
 hant, vel etiam vitam ipsam amittant, uti in Groenlan-  
 dia, Nova Zembla & juxta montes Islandicos non raro  
 contingit. Sic quoque ob hanc pariter, ac alias ex  
 Diæta desumendas causas, variis oculorum morbis, inpri-  
 mis Ophthalmiis, visus hebetudine, imo tandem cœ-  
 citate affliguntur navigantes, speciatim iter versus Am-  
 boinam, Bandam & Moluccas Insulas facientes, teste  
 BONTIO *Lib. II. Hist. nat. Cap. 16.* Præter enim aëris  
 conditionem, cuius injuriis caput & oculi præ cæteris  
 exponuntur, item victum crassum, abusum allii & ce-  
 rum,

rum, imo etiam Oryzæ, juxta modo allegati Auctoris  
 observationem, quibus humores oculorum nimium  
 inspissantur, eorundemque tenerrimæ glandulæ & vas-  
 cula obstruuntur, etiam splendor undarum, pariter ac  
 ille nivis, notante TAVERNIER *Itinerar. Persic. Lib. I.*  
*cap. 2.* oculis ipsorum perquam noxius observatur. Ut  
 autem magis adhuc malorum iste cumulus adaugea-  
 tur, varii quoque generis *insecta* accedunt, pediculi  
 nempe non solum & pulices, ob neglectam corporis  
 munditiem & indumentorum alternationem, sed &  
 vermes, aliaque. Sic enim in multis Americæ locis  
 peculiaris insectorum species, pulicibus fere similis, oc-  
 currit, quæ sub unguibus manuum pedumque primum  
 se se occultare, dein carnem & ossa cum ingenti pruri-  
 tu, ardore & inflammatione ibidem erodere solent, ut,  
 nisi tempestive iterum educantur, membra ipsa sphace-  
 lata rescindere necesse sit. Proinde etiam PISO *Histor.*  
*nat. Brasil. Lib. II. Cap. 16.* aliique referunt, tam copio-  
 sa atque maligna, juxta æquatorem in primis, navigan-  
 tes infestare & obruere insecta, ut neque alimenta, nec  
 corpora sua ab illorum noxis defendere, imo haud præ-  
 cavere queant, quo minus eadem vel viventia, vel ip-  
 sum seminaria, unacum alimentis & potulentis inopi-  
 nato deglutiantur, unde dein quandoque intra carnem  
 talium subjectorum vermes nascuntur, quem statum  
**Arabes** *venam Medinensem* appellant. Vid. WELSCHII  
*Exercit. spec. de vena Medina.*

### §. XX.

Quod autem modum, sanitatem navigantium ab  
 ejusmodi injuriis liberandi, attinet, *frigoris inclemensia*

ex-

externe convenientibus vestimentis, pellibus in primis subductis, & motu corporis, interne vero antiscorbuticorum & calefacientium, nec non Vini generosioris &  $\Omega$ -tuosorum moderato usu, arceri potest. Membra vero abinde tacta aquæ frigidæ immergenda, aut nive tegenda sunt, subsequente diligentí frictione, & interno resolventium, diaphoreticorum & balsamicorum usu. *Oculorum lassiones* imminentes averti possunt muniendo eos panno quodam tincto retiformi, vel paropii vitreis, & evitando cibos supra recensitos; actu vero præsentes tolli debent, præmisso universalium evacuantium usu, moderatis resolventibus & stagnans serum viscidum discutientibus, subjunctis tandem Collyriis tonicis & roborantibus, satis jam notis. *Insectorum* denique & *vermium* incommoda declinari possunt, industia diligenter mutando, eaque in ipsa aqua marina lavando, pedes tibialibus & calceis probe muniendo, aut Decocto Absynth. Allii & Scord. nec non *Vini camphor.* frequenter abluedo, Camphoram vel *Crocum* in sacculo de collo suspendendo, aut sub axillis gestando, vestiumque plicas unguento mercuriali illinendo; quodsi vero per cutem jam jam penetraverint, statim prudenter & caute extrahenda, & loca læsa  $\ddot{\text{o}}$ eo Therebinth. Picis, Lauri, Spicæ, vel pingvedine piscium illinenda sunt. Contusiones denique, luxationes, vulnerationes & membrorum fracturas, quæ navingantibus inter tot labores & procellas frequentissime obtingunt, lubentes heic prætermittimus, quoniam partim ad Chirurgiam magis spectant, partim etiam nihil peculiare circa easdem occurrit.

## §. XXI.

Agmen horum malorum claudat nunc medela *famis* atque *sitis*, utpote quæ navigantes gravius quandoque, ac ullus haec tenus enumeratorum morborum, affigere solent. Potest autem, ingruente alimentorum defectu, latrantem stomachum aliquamdiu sedare crusta panis cum Sale & Allio trita, item particula Theriacæ per intervalla cum Vini sumpta, vel haustus solius Vini, aut vini generosioris, si haberi potest, aut denique Nicotianæ fumus, vel masticatio, quippe quibus non solum stimulantis gastrici succi acrimonia corrigitur, sed & vigor humorum & ventriculi tonus conservatur. Post perpecciam autem longiorem inediam cavadum est, ne subita & nimia repletione damnum irreparabile ipsorum valetudini inferatur; hinc confert refectionem à jusculis inchoare, & restitutis ita humoribus ac succo gastrico, ad solidiorem cibum progredi, ea tamen quantitate, quæ infra satietatem potius subsistat, quam illam æquet, aut prorsus excedat. Sitim denique mitigare poterunt succis acidulis regni vegetabilis, nempe Berberum, Ribium, Citri, Acetosæ, item Nitro, aut pulveris pyrii particula linguae aridæ impo sita, nec non Liquiritia, Passulis majoribus & minoribus, crebrius masticandis, imo globulis plumbeis in ore agitandis, utpote quæ alliciendo salivam, sitim palliative ad minimum tollunt. Qui sumtus impendere possunt, current sibi conficiendas tabulas ex Crem. ♀i, Succo Citri & Berber. cum s. q. Sachari, quæ pariter, si non plenarium, tamen palliativum præbere possunt auxilium.

T A N T V M.

**Q**Vum TIBI pro meritis titulus contingit  
honoris,

Et quæ Neptunus fert mala, nota facis;  
Gratulor atque opto semper felicia quævis  
In terraque TIBI, faustaque cuncta mari.

*Paucula hæc gratulabundus deproperabat*  
PRÆSES.

---

**S**ie Schiffahrt ist fatal gar oft vor viele Leute,  
Nachdem sie diesem Holz ihr Leben anvertraut,  
Denn manche werden frank, ja gar des Todes  
Beute,

Ob gleich die Schiffe sind zu unsern Nut gebaut;  
Inzwischen wollen wir dieselbe nicht verachten,  
Ein Medicus wird schon nach Rath und Hülffe  
trachten.

Hoch-Edler/dies hast Du mit Klugheit schon bewiesen;  
Als von der Schiffer-Cur Du rühmlich disputirt,  
Gerane hat Dich nun mit achten Lob gepriesen,  
Da mit dem Doctor-Hut Hygea Dich geziert,  
Und diesen Deinen Fleiß wird jederman erkennen,  
Dazu aus Billigkeit den flugen Seebach nennen.

Hiermit wolte sich dem Hoch-Edlen  
Herrn Respondenten bestens em-  
pfehlen dessen Opponens,

**Johann Hieronymus Kniphof/**  
Med. D. & Pract. Erss. Acad. Cæs. Nat.  
Curios. Collega.

**I**ndem Du iēzo zeigst wie Schiffenden zu dienen,  
Wenn sie gesund und frant durch Fluth und  
Wellen gehn;  
Indem nach Müh' und Fleiß die Lorbeern der Hyginen  
Mein Bruder! höchst-vergnügt auf Deinem  
Haupte stehn;  
So hat von Pflicht gereizt, von Freude angetrieben,  
Herz, Feder, Kiel und Hand, den Wunsch hieher ge-  
schrieben:

Gott seegne Deine Cur zu Schiffe, See und Land,  
Und mache Deinen Ruhm durch vieler Heyl be-  
kannt.

So wolte seinem geliebten Brüder zur  
erlangten Doctor-Würde erfreut  
gratuliren

**H**einrich Ernst Seebach, Not. Publ. Cæs.  
& J. U. Cand.

---

**A** Ole clade notos ventosque reconde furentes,  
Adspiret Zephyrus, nrigerumque mare  
Impleat ac flatu semper sua vela secundo,  
Russorum donec littora tangit onus.  
Quem quoque nunc vehitis fluctus deducite salvum,  
Integra quo salvo gloria vestra manet;  
Hic etenim docuit morbos depellere diros;  
Qui pelago vectos corripuisse solent.

*His Domini Neo-Doctoris sempiternæ  
benevolentiae optime se commenda-  
re voluit*

**ABRAHAM JOHN,**  
Lignit. Siles. M. C.

3 ) o ( E